

at ultimo, ubi postquam v. 16. dictum fuit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.* Statim v. 17. subditur: *Signa autem eos, qui crediderint, hoc sequentur: in nomine meo demonia ejicient: linguas loquentur novae &c.* Deinde contextus ipse facit indicare, Paulum de fide Christiana loqui partim quia vocat eam omnium fidem, id est perfectam; partim quia loquitur de fide; qui cognoscimus nunc in *augustinus*, & ex parte, contrapostitae cognitionis facit ad faciem: unde concludit v. 13. *Nunc autem manent, fides, spes, charitas, tria haec.* Quibus certe fidem Theologicam indicat.

XIII. Contra secundum effugium sic inso. Tum quia Paulus dicit: *Si habueris omnem fidem, non si habueris; uti debuisse dicere, si loqueretur in suppositione impossibili.* Tum quia sicut dicit: *Si habueris omnem fidem; ita dicit: si habueris prophetiam, si noveris mysteria omnia, & si distribuere in cibis pauperum omnes facultates meas.* Certum est autem, sine charitate posse hominem de fide habere prophetiam, nosse mysteria, distribuere omnia sua in cibos pauperum; ergo & posse habere fidem Theologicam.

XIV. Item Joann. 12. v. 43. & 43. testatur Evangelista, quod ex Principibus multi crederent in eum (Christum) sed propter pharisaeos non confitebantur, ut ex Synagoga non ejectionem, Hi certe habebant fidem, quia credebant in Christum; & tamen non habebant charitatem, nam statim subditur: *Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.* Quod est peccatum contra preceptum de Deo super omnia diligendo, expellens charitatem.

XV. Rursus Marth. 7. Christus distinguit inter eum, qui audit verba sua, & facit ea; & eum, qui audit, & non facit, *vers. 24.* & 26. audire autem verba Christi, est in eum credere secundum phrasim Scripturae, quia *Fides ex auditu venit per verbum Christi,* Roman. 10. v. 17. ergo dantur fideles, seu habentes fidem, & non scientes ea, quae credunt, quibus tamen fides nihil proderit. Unde ibidem *vers. 21.* *Non omnis (inquit) qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum Caelorum: sed qui facit voluntatem Patris mei.*

XVI. Hoc praeterea confirmatur exemplo ejus, qui Marth. 22. ingressus ad nuptias: non habens vestem nuptialem, ejicitur in tenebras exteriores. Ibi enim nuptiarum domus Ecclesia est, vestis nuptialis charitas: in domum hanc intreat quis per fidem; sed si vestem charitatis non inducat, ejicietur tandem, cum Dominus venerit. Ita Gregorius Homil. 38. in Evangelia: *Omnis ergo vestrum, qui in Ecclesia positus Deo respicit, jam ad nuptias intravit; sed cum nuptialis veste non venit, si charitatis gratiam non custodit.* Qui consentiunt Chrysolomus, Hieronymus, aliique. Hoc idem demonstrat parabola decem Virginum: quarum quinque, ut habetur *Marth. 25. fatux,* Domino obviam euntes cum lampadibus, ac proinde fideles, audiunt: *Nescio vos;* propterea quod non habent oleum, id est charitatem.

XVII. Scripturae accedunt Patres, qui omnes veram fidem admittunt in eo, qui male vivit, & non habet charitatem. Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 18. *Sine charitate quippe fides potest quidem esse, sed non est proficiens. Propter quod, & Apostolus Paulus: In Christo, inquit, Jesu neque circumcisio, neque praepitium aliquid valet, sed fides; quae per dilectionem operatur.* . . . *Quod dicitur proprie quid nisi charitatem intelligenda est, quae pervenit ad Deum, & sine qua quilibet aliud donum Dei non pervenit ad Deum? Ubi concedit, dari donum Dei sine charitate: quod, ut videmus, detestatur Calvinus, Item 1. de Bapt. c. 8. contra Bonafas, qui in schismate, & propterea sine charitate existentibus, sibi adlabantur, quod sanam fidem habent; non negat, eos sanam fidem habere, quia extra charitatem sunt: sed eos comparat inferno, qui in aliqua necessaria parte corporis lethaliiter vulnerati, certe si non sanetur, morietur, quamvis habeat alias corporis partes sanas: inde concludens: *Quid ergo prodest homini vel sana fides, vel sanum fornicatio solum fidei sacramentum, ubi lethali vulnera schismatis percussa est sanitas charitatis; per cuius solius percussioem etiam illa integra trahitur ad mortem?**

Expressius autem hoc docet *Serm. 90.* (alias 14. ex Simonianis) ubi adhortans auditores suos: *Hec mones (inquit) hoc exhortor, hoc in nomine Domini decet charitatem vestram, ut habeatis fidem cum dilectione: quia potestis habere fidem sine dilectione. . . Potest fieri, ut credas, venisse Christum, & non diligas Christum: non potest autem fieri, ut diligas Christum, & non credas, venisse Christum.* Praeterea alios Patres, qui esto omnes affirmant, fidem, quae per dilectionem non operatur, inutilem esse, & mortuam; nullus tamen eorum asserit, amissa charitate, amitti fidem.

XVIII. Probatur etiam ratione primo. Fides, & spes sunt prioritate generationis priores charitati; nam fides generat spem, spes vero charitatem; sed prius potest esse sine posteriori, ut patet in omni composito naturali, & in omni edificio materiali, cuius fundamentum, quod est prius, remanere potest, quia cetera super ipsum fundata remaneant; ergo eum fides sit fundamentum totius aedificii spiritualis, & prior, spes quoque charitatem praecedat, possunt sine charitate subsistere.

XIX. Secundo. Fidelis, qui per peccatum, puta adulterii, charitatem amisit, adhuc credit omnia, quae ante crederat: immo credit, ut ante, sibi divina lege prohibuit esse adulterium, & adulterando, se transgressum fuisse divinam legem. Insuper sperat, dum est in hac vita, peccatum suum misericordia Dei sibi esse condonandum, & consequenter non

desperat beatitudinem; ergo manet in eo fides, & etiam spes.

XX. Tertio. Illud forum tollit ab homine fides, & spes, quod fides, & spes contrariatur, & eorum objectum destruit: sed sola infidelitas contrariatur, & destruit objectum fidei: sed, quod sit in eis aliqua imperfectio, hoc accidit ex parte recipientis. Et 2. q. 6. art. 2. ad 3. *Ulo, qui accipit a Deo fidem absque charitate non simpliciter sanatur ad infidelitatem, quia non remouetur culpa procedentis infidelitatis; sed sanatur secundum quod, ut scilicet, cesset a tali peccato. Hoc autem frequenter contingit, quod aliqui desinunt ab uno actu peccati, etiam Deo hoc faciente, qui tamen ab actu alterius peccati non desinunt. Et per hunc etiam modum datur aliquando homini a Deo, quod credit; non tamen datur ei charitatem donum. Sicut enim aliquibus absque charitate datur donum prophetiae, vel aliquid simile.*

XXI. Secunda vero pars, quod fides, & spes sine charitate non manent in statu perfecto, & in ratione virtutis, probat. Tum ex haecenus dictis: quia fides, & spes absque charitate sunt carentes vita, & mortuae, & nihil profunt ad salutem. Tum ratione D. Th. hac q. 65. a. 4. sub hac forma. *Habitus virtutis, ut habeat perfectum statum, & rationem virtutis, debet non solum facere actum bonum, sed etiam bene, sed actus fidei, & spei sine charitate elicius, esto fit actus bonus, non tamen fit bene; ergo fides, & spes &c. Maj. constat ex superioribus dictis. Nam idem virtutes morales sine prudentia non sunt perfectae, nec habent iterum virtutis, quia faciunt quidem opus bonum, sed non bene, quia non secundum electionem rectam. Min. probatur. Actus fidei, nempe, credere Deo, seu voluntarie Deo assentiri, qui actus bonus, est, ut bene fiat, debet debito modo fieri, id est, ex voluntate recta: sed voluntas non redificatur erga Deum, nisi per charitatem, ut docet Aug. 1. de Civ. Dei c. 9. Omnis enim rectus motus voluntatis ex recto amore procedit: sic inquit D. Th. *Fides est quidem sine charitate, sed non est perfecta virtus sicut temperantia, vel fortitudo sine prudentia.**

XXII. Item dicendum est de spe: *Nam actus spei est expectatio beatitudinis a Deo. Qui quidem actus perfectus est, sicut ex merito, qui quis habet; quod non potest esse sine charitate, si autem hoc spectat ex merito, quia non habet, sed propter in futurum acquirere, erit actus imperfectus: & hoc potest esse sine charitate. Unde concludit: Et ideo fides, & spes potest esse sine charitate: sed sine charitate, proprie loquendo, virtutes non sunt. Nam ad rationem virtutis pertinet, ut non solum secundum ipsam aliquid bonum operetur, sed etiam bene, ut dicitur in 2. Ethic. c. 6.*

XXIII. Nota tamen, quod non eodem modo fides, & spes dependent a charitate, sicut virtutes morales infusae prudentia: ita, sicut virtutes morales sine prudentia degenerant in vitia, ita & fides, & spes sine charitate. Nam (ut ait S. Th. relatus ad 1.) *virtutes morales dependent a prudentia; prudentia autem infusa nec rationem prudentiae habere potest, absque charitate, utpote deficientia debita habitudine ad primum principium, quod est ultimum finis. Fides autem, & spes secundum propriam rationem, nec a prudentia, nec a charitate dependunt: ideo sine charitate esse possunt, licet non sine virtute, ut supra dictum est.*

§. III.

Hæreticorum Argumenta.

XXIV. Obijciunt primo. Fides est donum Dei, & Spiritus Sancti illuminatis nos per fidem; ut sit nostræ adoptionis testis, sui nostræ justificationis: unde ait Paulus Roman. 10. *vers. 10. Cordis enim creditur ad iustitiam.* Hinc fides magis est cordis, quam crederi, & acceptus magis, quam intelligenti. Et rursus cum fides Christum applicet, ut nobis offerat a Patre; ille vero non in iustitiam modo, & remissionem peccatorum offeratur, sed in sanctificationem: fidem quis apprehendere, & retinere nequit, nisi per eam sanctificationis donum accipiat: quod cum in non habente charitatem non adsit, ideo fides sine charitate non est vera fides, Ita obmurmurat Calvinus lib. 3. *Instit. cap. 2. §. 8. supra citato.*

XXV. Respondeo, hunc errorem Calvinii, & sursum procedere ex suppositione alterius erroris, quoniam inferius resutabimus: nempe, quod fides per se sit causa immediata, & formalis nostræ justificationis. Quod tamen falsum esse offendimus: cum fides fit quidem nostræ justificationis initium, & radix, non tamen per ipsam immediate justificemur. Quare ad id, quod obijcit, concedo quidem fidem (etiam informem) esse donum Dei, & Spiritus Sancti, sed moventis, preparantis, & disponentis nos per fidem, non fidem, & alios actus ad justificationem, & adoptionem; spondem tamen per gratiam justificationis in nobis inhabitantis. Hæc est constant Catholica Ecclesie doctrina in Trident. *sess. 6. cap. 6. 7. & 8. & Sess. 24. cap. 4.* Fides ergo, est informis donum Dei est, ut docet Divus Thomas 2. 2. *quæst. 6. art. 2. & in 3. dist. 23. quæst. 3. art. 2.* movens per piam affectionem intellectum ad assentiendum his, quae supra naturam sunt, & eumque reddens factilem ad credendum credenda contra diversionem, & desipit ad resistendum non credenda contra errorem. Dum vero Paulus dicit: *Corda credunt ad iustitiam,* non describit fidem quoad substantiam, prout est voluntarius assensus reuelatis a Deo; hanc enim describit *Hebr. 11. vers. 1.* quod fit *Sperandum substantiam verum argumentum non appropinquatum: sed fidem vivam, & salutarem conjunctionem charitatis, & bonis operibus, quae preparat ad iustitiam, & hic est finis ad quem Spiritus Sanctus nos ducit; nempe, ut homo per eam perducatur ad justificationem, & sanctificationem, & ad hunc finem offert homini Christum. Quod si interdum fides aufert solam cessationem infidelita-*

tis, & non removet peccata, nec hominem perducit ad justificationem; ex defectu ipsius hominis est, non fidei, nec Dei. Hæc est doctrina Div. Thom. in 3. dist. 23. *quæst. 3. art. 2. ad 6.* dicens: *Perfectio divinarum operum est ex ipso (Deo) sed, quod sit in eis aliqua imperfectio, hoc accidit ex parte recipientis. Et 2. q. 6. art. 2. ad 3. Ulo, qui accipit a Deo fidem absque charitate non simpliciter sanatur ad infidelitatem, quia non remouetur culpa procedentis infidelitatis; sed sanatur secundum quod, ut scilicet, cesset a tali peccato. Hoc autem frequenter contingit, quod aliqui desinunt ab uno actu peccati, etiam Deo hoc faciente, qui tamen ab actu alterius peccati non desinunt. Et per hunc etiam modum datur aliquando homini a Deo, quod credit; non tamen datur ei charitatem donum. Sicut enim aliquibus absque charitate datur donum prophetiae, vel aliquid simile.*

XXVI. Ex hoc ultimo exemplo contra Calvinium sic arguo. Sicut fides Theologica datur ad justificationem consequendam; ita dona gratiarum, ut virtutes, genera linguarum etc. dantur ad adificationem aliorum, sed ut Calvinus ipse citato loco §. 9. admittit, gratiarum dona possunt esse a Deo, est aliquis eis utatur, non ad adificationem, sed ad subversionem aliorum; ait enim: *Quam ergo hac, sive virtus, sive fides (miraculorum) particulare sit donum Dei, quo impius quiescat & polere queat, & abui, ut dono linguarum, ut prophetia, ut alii charitativus; non mirum, si a charitate separatur: ergo similiter, quamvis fides sit donum Dei, potest homo ea non bene uti ad sui justificationem, & sic eam a charitate separare.*

XXVII. Dicis tamen. Sicut actus dicitur deformis per hoc, quod caret debita forma; ita fides dicitur informis, per hoc, quod caret debita forma, nempe charitate: sed actus deformis non est donum Dei, nec a Deo, ergo neque fides informis.

XXVIII. Respondeo cum D. Thom. 2. 2. *quæst. 6. art. 2. ad 2.* *Quod deformitas non solum importat privationem debite forme, sed etiam contrariam dispositionem: unde deformitas se habet ad actum, sicut falsitas ad fidem. Et ideo sicut actus deformis non est a Deo; ita nec aliquis falsus: & sicut fides informis est a Deo; ita etiam actus, qui sunt boni ex genere, quamvis non sint charitativus formati, sicut plerumque in peccatis contingit, sunt a Deo. Eodem modo respondet in 3. dist. 23. *quæst. 3. art. 2. ad 6.**

XXIX. Obijciunt secundo. Fides informis sine operibus, & charitate comparatur fidei Demonum. Jacobi 2. *vers. 19. Tu credis, quantum unus est Deus: bene facis; & Demones credunt: & contentiosus; atqui fides Demonum non est vera, & catholica fides; ergo nec fides sine operibus, & charitate.*

Confirmatur ex 1. ad Timoth. 5. v. 8. *Si quis autem suorum, & proximorum domesticorum, curam non habet, fidem negavit: & est infidelis deterior; ergo qui charitatem non habet, fidem non habet.*

Rursus 1. Joann. 2. v. 4. *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est; & in hæc veritas non est: ergo qui dicit, se habere fidem, cum charitatem, & opera non habet, mendax est.*

XXX. Respondeo, negando consequentiam. Quamvis enim eo conveniat fides Demonum & fides malorum Christianorum, quod utraque firmiter quendam assensum continent; & neutra salvare potest: differunt tamen, quod Demonum fides est coacta, malorum vero Christianorum fit voluntaria: quod actus fidei illorum in genere moris bonus non fit, illorum vero fit. Unde habent fidem sine operibus dicit: *Tu credis quantum unus est Deus, bene facis: de Demonibus vero cum dixit, quod credunt non dicit, bene faciunt, sed contentiosissimi: quia coacti vi signorum nolentes credunt.*

XXXI. Ad confirm. nego similiter illatum. Ille enim, qui suos, & maxime domesticos, ut parentes, aliosque sanguine, vel cura sibi junctos, vel concreditos, in egestate constitutos non curat, sed deserit, dicitur negare fidem; non quidem verbo, aut mente, sed facto: quia opere non se gerit, sicut fides, quam profertur, dicitur; & quæ de numero illorum, qui ad Titum 1. v. 6. *Confitentur, se nosse Deum, facti autem negant.* Quod vero addit: *Est infidelis deterior;* accipiendum est pro ea parte, quæ propinquos deserit, quod infideles non faciunt. Et notandum, quod Apostolus non dicit: *Fidem amisit: sed fidem negavit.* Neque addit: *Est infidelis, sed est infidelis deterior:* quod non indicat, eum perdidisse fidem; sed quod habens fidem deterior sit eo, qui fidem non habet. Sicut si dicam, hominem aliqueum esse pejorem bestia, non nego, illum esse hominem; sed potius, quod, cum sit homo, pejorem se ostendat bestia.

XXXII. Ad id, quod additur, dico, Sancti Joannem loqui de notitia affectiva, & practica, quæ complectitur actum non solum intellectum, sed etiam voluntatis amantis quem cognoscit. Unde sensus est: qui dicit, se cum affectu sinceris amoris cognoscere Deum, & cognoscendo ire in Deum, & mandata eius non custodit, mendax est: hoc enim patet omnino, qui mortaliiter peccat, hoc ipso non cognoscit Deum.

XXXIII. Sed dices. Vera fides semper habet conjunctionem bonam voluntatem; & humilem propensionem, quæ subiectionem divinæ veritati: hæc autem petit conjunctionem habere charitatem; ergo qui hæc non habet, & dicit, se habere fidem, mendax est: ac dicendum est nosse Deum, sicut enim novoverunt Philosophi: *Quia cum cognoscitur Deus, non sicut Deum glorificaverunt.* Rom. 1. *vers. 21.*

XXXIV. Respondeo, neg. min. Non enim omnis bonæ voluntatis, & non movet peccata, nec hominem perducit ad justificationem; ex defectu ipsius hominis est, non fidei, nec Dei. Hæc est doctrina Div. Thom. in 3. dist. 23. quæst. 3. art. 2. ad 6. dicens: Perfectio divinarum operum est ex ipso (Deo) sed, quod sit in eis aliqua imperfectio, hoc accidit ex parte recipientis. Et 2. q. 6. art. 2. ad 3. Ulo, qui accipit a Deo fidem absque charitate non simpliciter sanatur ad infidelitatem, quia non remouetur culpa procedentis infidelitatis; sed sanatur secundum quod, ut scilicet, cesset a tali peccato. Hoc autem frequenter contingit, quod aliqui desinunt ab uno actu peccati, etiam Deo hoc faciente, qui tamen ab actu alterius peccati non desinunt. Et per hunc etiam modum datur aliquando homini a Deo, quod credit; non tamen datur ei charitatem donum. Sicut enim aliquibus absque charitate datur donum prophetiae, vel aliquid simile.

luntatis propensio est charitas, sed sola propensio in Deum, ut summum bonum. Unde Sanctus Thomas 2. 2. *quæst. 4. art. 7. ad 5.* *Alius (inquit) voluntatis præcipitur ad fidem, non tamen actus voluntatis charitatis informatus; sed tali actui præsupponit fidem: quia non potest voluntas perfectè amore in Deum tendere, nisi intellectus rectam fidem habeat circa ipsum.* Voluntas ergo, quæ ad fidem præcipitur, est, quæ subiectionem intellectum in obsequium veritatis, iuxta dictum Pauli 2. Corin. 10. *vers. 5. In captivitate redigimus omnem intellectum in obsequium Christi.* Neque est simile de Philosophis Gentilibus. Hi enim non Deo dicunt obsequentes, Deum crediderunt; sed ratione naturali convicti, eum novoverunt. Quare Sanctus Thomas in 3. dist. 22. *quæst. 3. art. 2. ad 3.* *Philosophi (inquit) proprie loquendo, non crediderunt Deum Omnipotentem, sed sciverunt; quia demonstrative illud probaverunt. Sed si aliqui illud sine demonstratione crediderunt, non crediderunt illud, quasi Deo dicenti: hoc, sed aliter signa ex quo illud conjectarunt sunt.*

XXXV. Obijciunt tertio. Quolibet peccato mortali amittitur charitas; ergo fides, & spes. Consequ. probatur. Tum quia charitas est forma fidei, & spei. Tum quia, charitate amisit, omnes virtutes infusae amittuntur; ergo etiam fides, & spes: Tum quia, amissa charitate, fides, & spes amittuntur rationem virtutis: sed fides, & spes sunt essentialiter virtus; ergo &c.

XXXVI. Respondeo, neg. consequ. Ad primam prob. disparitas est. Nam peccatum mortale includit essentialiter aversionem a Deo, ut summo bono, ad quem charitas essentialiter est conversio, non tamen fides, & spes. — Ad secundam, neg. conf. Jam enim §. *præced. num. 23.* diximus, virtutes morales infusae per se a prudentia, & caritate pendere, non sic autem fidem, & spes quantum ad substantiam. Nam fornicatione, & aliis peccatis mortalibus, quæ non sunt infidelitas, tollitur quidem fides quantum ad formale, non tamen quantum ad substantiam habitus, ut docet D. Thomas *quæst. 14. de Verit. art. 7. ad 8.* — Ad tertiam jam didimus est, charitatem esse formam fidei, non essentialiter sicut partem elementarem: sed in quantum aliquam perfectionem fidei a charitate consequitur. Sicut in Universis elementis inferiora dicuntur esse ut forma inferiorum. Ita Sanctus Thom. *quæst. 14. de Verit. art. 7. ad 1.* Quod autem amittat perfectam rationem virtutis, non sequitur, quod amittat aliquod elementum in genere naturæ, sed essentialiter, ut refertur ad genus moris, ut docet D. Thom. *quæst. 14. de Verit. art. 6. ad 1.* ubi ait: *Aliquid potest esse accidentale alicui, prout est in genere naturæ, quod est sibi essentialiter, prout refertur ad genus moris, scilicet, ad virtutem, vel virtutem, sicut finis debitis consequitur, vel qualibet alia circumstantia debita. Et similiter id, quod fides ex charitate recipit, est sibi accidentale secundum genus naturæ, sed essentialiter, prout refertur ad genus moris; & ideo per hoc ponitur in genere virtutis.*

XXXVII. Ex haecenus dictis sequitur, eundem esse habitum fidei informis, & formatæ: quod ostendit Div. Thom. *quæst. 14. de Verit. art. 7.* Quia fides informis, & formatæ non differunt ex objecto, sed solum in modo agendi perfectio, & imperfectio: Fides enim formatæ perfectæ voluntate assensu prima veritatis; fides autem informis imperfectæ voluntate. Unde fides formatæ, & informis non distinguuntur, sicut duo diversi habitus; sed sunt habitus perfectus, & imperfectus. Unde cum idem habitus, qui prius fuit imperfectus, possit fieri perfectus; ipse habitus fidei informis fit formatæ. Hæc Div. Thom. de hoc non pauca diximus in *Vera Ecclesia Tom. II. par. 1. art. 8. §. 7.* ubi plura Picenini sophismata deteximus, & dissipavimus.

QUÆSTIO IV. De Donis Spiritus Sancti.

CUM Spiritus Sancti dona maximam habeant cum virtutibus cognitionem; ideo Tractatu de virtutibus inferimus quæstionem de donis Spiritus Sancti, de quibus quid sit, & quot sint, cum D. Th. hic q. 68. breviter expendimus.

DUBIUM I.

AN DONA SPIRITUS SANCTI SINT HABITUS, & AN A VIRTUTIBUS DISTINCTI?

§. I.

Exponitur notio Doni.

Dona (inquit Div. Thom. hic *art. 1.*) sunt altiores perfectiones, secundum quas homo est dispositus, ut a Deo moveatur: & ista perfectiones vocantur dona, non solum quia infunduntur a Deo; sed quia secundum ea homo disponitur, ut efficiatur prompte mobilis ad inspirationem divinam (ad actus quidem altiores, & extraordinario modo) sicut dicitur *1. Isa. 50.* *Domini aperuit michi aurem: ego autem non contradico, & retrorsum non abii.*

II. Dicuntur autem dona Spiritus Sancti, quia Spiritus Sanctus, cui appropriantur, ex sua characteristica proprietate donum est: ideoque etiam Spiritus dicuntur, quia ejus proprium est, per inspirationem procedere. Quare hæc dona ex amore spirante procedentia, veluti ex spiritu cordis Dei procedunt, & sunt quodammodo habitus: quia his homo a Spiritu

Sancto agitur, & movetur ad opera ardua, & extraordinaria. Hec indicavit Iſaias cap. 11. vers. 2. & 3. his verbis: Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientia, & intellectus, Spiritus consilii, & fortitudinis, Spiritus scientia, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini. De his ergo quæretur: an dentur per modum habitus, an vero per modum motionis tranſeuntis. Deinde: an sint a virtutibus infusus distincta.

§. II.

Resolvitur, Dona esse habitus.

III. Dico primo. Dona Spiritus Sancti dantur per modum habitus. Ita D. Th. hac q. 68. art. 3. & probat primo. Quia Christus de Spiritu Sancto loquens, discipulis, Joann. 14. v. 17. ait: Quod vos mandabo, & in vobis erit: sed Spiritus Sanctus non est in hominibus absque donis ejus; ergo dona ejus manent in hominibus: ergo non solum sunt actus, vel passionis, sed etiam habitus permanentes.

IV. Probat secundo hoc discurſu. Dona Spiritus Sancti eo modo se habent ad hominem, comparate ad Spiritum Sanctum, sicut virtutes morales se habent ad vim appetitivam comparate ad rationem: sed virtutes morales quidam sunt, quibus vires appetitivæ disponuntur ad prompte obediendum rationi, ergo dona Spiritus Sancti sunt quidam habitus, quibus homo perficitur ad prompte obediendum Spiritui Sancto. Major probatur. Quia dona Spiritus Sancti sunt quedam perfectiones, quibus homo disponitur, ut connaturaliter, & prompte sequatur instinctum Spiritus Sancti ad actus extraordinarios, & præter communes regulas: sicut virtutes morales sunt quedam perfectiones, quibus vis appetitiva disponitur ad sequendum imperium rationis.

V. Confirmatur, & explicatur magis. Anima humana est mobilis, vel a ratione, vel a lumine gratia, & fidei, secundum communes regulas ordinis naturalis; vel a Spiritu Sancto speciali impulsu, præter communes regulas nature, & gratia: sed ut connaturaliter, & facile possit moveri a ratione, disponitur per virtutes morales acquiras, ut possit moveri a lumine fidei, & gratia: disponitur per virtutes morales infusus; ergo ut connaturaliter possit moveri a Spiritu Sancto, debet etiam per aliqui dona habitus disponi.

VI. Sed dices primo. Habitus est quidam difficile mobilis, permanentis, & quasi requiescens in subiecto: sed hoc modo dona Spiritus Sancti in solo Christo sunt teste Iſaiâ cap. 11. supra relato; unde Joann. 1. vers. 33. dicitur: Super quem visiter spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat. Quæ exponens Gregorius in 2. Moral. capitul. 41. vel 28. (modo 56.) In cunctis (inquit) fidelibus Spiritus vivit, sed in solo Mediatore singulariter permanet; ergo &c.

VII. Resp. cum D. Th. hoc art. 3. ad 1. ibi fermonem esse de gratiis gratis datis, quæ in solo Christo permanenter fuerunt, ut his uti possit, quando, & ubi velle; non vero de donis Spiritus Sancti; nam, secundum hæc, Spiritum Sanctum in discipulis mansurum promissit Christus Joann. 14. laudato loco. Et ratio est: quia hæc dona sunt cuique necessaria in Electis ad salutem propriam; illa autem solum ad aliorum utilitatem, & ædificationem. Ita ante D. Thom. hæc difficultatem solvitur citato loco Sanctus Gregorius his verbis: Alia namque sunt dona illius, sine quibus ad vitam æternam pervenitur: alia, quibus vita sanctiorum pro aliorum utilitate declaratur. Et post aliqua: In his igitur donis, sine quibus ad vitam perveniri non potest, Sanctus Spiritus, sicut in Prædicationibus suis, sicut in Electis omnibus semper manet: in illis autem, quibus per affectionem illius non nostra vita servatur, sed aliorum quaeritur nequaquam semper in Prædicationibus permanet: quia semper quidem eorum cordi ad bene vivendum præstat; nec tamen, per eos, virtutum signa semper ostendit.

VIII. Ex qui doctrina duo inferuntur. Primum, dona Spiritus Sancti esse necessaria cuique ad salutem. Quia homo est fide, spe, & charitate instructus sit ad supernaturalia, & divina; cum tamen solum imperfecte ea possideat, nec ita semper fervide uti possit, sed sæpe languescat; oportet, ut speciali Spiritus Sancti motione, & impulsu excitetur a languore, & fortificetur. Sicut quia Luna imperfecte possidet lumen, non illuminat, nisi a Sole perfecte lucido illuminetur. Sic autem a Spiritu Sancto illuminari, & excitari, ex abundantia bonitatis est. Unde, secundum Philosophos, non quicumque habebat virtutes morales acquiras, habebat virtutes morales heroicæ, vel divinas. Videatur Div. Thom. hoc artic. 2.

IX. Inferitur etiam discrimen inter dona Spiritus Sancti, & gratias gratis datas, puta, Prophetiam, genera linguarum, cur illa habitualiter dentur, illæ non. Nam ut dicebamus, cum illa sint cuique necessaria ad salutem propriam; debet homo per illa constitui habitualiter habitus, & promptus: illæ vero cum dentur solum ad manifestationem Spiritus in illorum utilitatem; tunc solum dantur, quando Spiritui Sancto placeat. Ita D. Thom. hoc art. 3. ad 3.

X. Dices secundo. Homines per sua dona a Spiritu Sancto aguntur. Rom. 8. vers. 24. Quisquam enim Spiritu Dei agitur, si sunt filii Dei? ergo se habent ut instrumenta a Spiritu Sancto mota; ergo dona sunt motiones, quibus instrumenta moventur, non habitus.

XI. Respondeo cum D. Thom. hoc art. 3. ad 2. Quod ratio illa procedit de instrumentis, cuius non est agere, sed solum agi. Tale autem instrumentum non est homo: sed sic agitur a Spiritu Sancto, quod etiam agit, in quantum est liberi arbitrii. Unde inagere habetur.

121

§. III.

Dona sunt habitus a Virtutibus infusus distincti.

XII. Dico secundo. Dona Spiritus Sancti distinguuntur a virtutibus infusus, sive Theologicis, sive moralibus. Est contra Scotum, Vazquez, & alios. Eam tamen docet S. Thom. hac quæst. 68. art. 1. ubi, relatis variis opinionibus, hæc adoptat ut veriorer, & probat sic. Es, quæ disponunt hominem, ut sit bene & prompte mobilis a Deo, distinguuntur ad his, quæ disponunt hominem, ut sit bene & prompte mobilis a ratione: sed dona disponunt hominem, ut sit bene mobilis a Deo; virtutes vero eum disponunt, ut sit bene mobilis a ratione, tum naturali, tum supernaturali perfectione disposita; ergo dona Spiritus Sancti distingui debent a virtutibus. Major probatur. Cum enim mobile debet proportionari motori, quanto altior est motor, tanto altiori dispositione debet mobile perfici: sicut discipulus debet esse perfectius dispositus, ut capiat altiore doctrinam a Doctore, quam inferiorer a vulgari Magistro. Minor quoque probatio. Nam virtutes acquiras disponunt hominem, ut sit bene mobilis per regulas prudentia acquiras; infusus eundem disponunt, ut sit bene mobilis per regulas prudentia infusus: dona vero cum disponunt, ut sit bene mobilis per inspirationem, & instinctum Spiritus Sancti, a moribus, & extraordinario modo ad actus supra regulas communes prudentia. Sic quædam S. S. Virgines, quæ, ut fervarent fidem, vel pudicitiam, sponte in flammam, vel fluvios se coniecerunt, id est speciali dono, & instinctu Spiritus Sancti, supra communes prudentia regulas, facillè credende sunt. Sic Phinees divino zelo commotus, Num. 25. interfecit Zambri, & Cozbi; Matathias 1. Machab. 2. virum Judæum & Samonem, Jud. 16. morus fuit, ut, conessis circumis, Philistinos interficeret: Salomon, 3. Reg. 3. mirabile iudicium protulit, cum ait: Deditis iſraheliam. Eleazarus, 1. Mach. 6. audacter introivit, interficiens a dextris, & a sinistris, & tandem elephantem interfecit: alique insignes viros facillè Scriptura narrat, quæ supra communes prudentia regulas possunt.

XIII. Quare dona Spiritus Sancti recte describi possunt: quod sint qualitates a Deo infusæ, secundum quas homo disponitur, ut efficiatur prompte mobilis ab inspiratione divina extraordinaria; seu ad actus supra communes prudentia infusæ regulas. Virtutes vero: quod sint qualitates a Deo infusæ, quibus homo recte disponitur, ut a Deo, & a ratione divinitus instructa moveri possit secundum communes prudentia regulas.

XIV. Hinc apparet primo: quod esto virtutes tam Theologicæ, quam infusæ disponunt hominem ad recipiendam motionem Spiritus Sancti; disponunt tamen ad eam recipiendam modo ordinario; & ad operandum prævio consilio, & deliberatione, non ex speciali infusæ, ut disponunt dona. Ea hoc est, quod ait D. Thom. hoc art. 1. ad 4. tempore: Quod sapientia dicitur intellectualis virtus, secundum quod præcedit ex iudicio rationis; dicitur autem donum, secundum quod operatur ex instinctu divino.

XV. Apparet secundo: quod esto virtutes infusæ, & dona respiciant eandem materiam; eam tamen respiciunt dona sub modo valde altiori, & secundum altiore regulam, quam virtutes. Ad hoc autem non sufficit virtutum intensio: sed requiritur novum, & altius donum, sicut adventu novum, & altius morivum. Quare cum virtutes Theologicæ aliquos actus heroicos, & extraordinarios eliciunt, ut cum aliquis, ex charitate, tradit animam suam pro amicis; quibus in similibus casibus conjunguntur. Et propterea cuilibet virtuti Theologicæ aliquid donum correspondet: ut fidei, donum intellectus & scientia (ut docet D. Th. 2. 2. q. 8. & 9.) spei, donum timoris (ut docet S. Th. q. 19.) & charitatis, donum sapientia (ut quæst. 45.) & hæc quæst. 68. art. 4. ad 3. Prima (inquit) in hominibus (cum Deo) est per fidem, spem, & charitatem. Unde ista virtutes præsupponuntur ad dona, sicut virtutes quædam donorum. Unde omnia dona, pertinent ad hæc tres virtutes, sicut quædam derivaciones prædicarum virtutum.

DUBIUM II.

An Dona Spiritus Sancti sint Septem?

§. I.

Resolutio Affirmativa.

I. Dico. Septem sunt dona Spiritus Sancti. Ita D. Thom. hoc art. 4. Negat Calvinus l. 4. Institut. cap. 19. §. 22. asserens, Italem cap. 11. enumerare solum sex: & alibi fugillat Scholasticos, tanquam Hebraei textus ignaros; cum in eo solum sex enumerentur. Ubi enim nos legimus: Spiritum pietatis, & timoris Domini: in Hebræo, unico vocabulo, quod solum timorem exprimit, legitur.

II. Sed inepie garrit Calvinus. Est enim in Hebræo textu idem se vocabulum, pro quo nos habemus duo, nimirum, pietatis, & timoris; quia tamen non sine causa est repetitum; ideo septuaginta interpretes recte illud duabus distinctis vocibus, pietatis & timoris reddiderunt. Eosque pauciter Hieronymus hebraice, & græce magis, quam Calvinus, peritus, secutus est in dictum cap. 11. Et ex Veteribus Graecis

Græcis Origenes Homil. 6. in Numer. & Homil. 3. in Iſaiam. Et Latinis autem Ambrosius lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 20. Augustinus lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 7. Et lib. 1. de Serm. Domini in Monte cap. 4. Et S. Gregorius lib. 1. Moral. cap. 27. olim 12. Unde merito observatur interpres, vocabulum hebraicum duo significare, nimirum, timorem, & reverentiam, ac deinde etiam pietatem: sicut etiam apud Latinos timor importat non solum metum, sed reverentiam quoque, quæ respicit etiam a pietate. Quare quod Job 1. 28. vers. 28. dicit: Timor Domini ipsa est sapientia; ab August. lib. de Spiritu, & littera cap. 11. redditur: Ecce pietas est sapientia.

III. Potest autem iste donorum numerus ex D. Thom. hoc art. 4. & 2. 2. quæst. 8. art. 6. sic declarari: Spiritus Sanctus, aut intellectum movet, aut appetitum. Si intellectum, vel perficit eum, quantum ad apprehensionem, & iudicium, ut divina bene capiat, ac penetret: & ad hoc est donum Intellectus. Vel perficit, quantum ad iudicium, modo resolutivo, quo homo statuit, quia ratione se habere debeat erga res omnes, tam divinas, quam humanas, easque five in generalis, five in particulari. Si perficit in generali circa res divinas: ad hoc datur donum Sapientia: si in generali circa res humanas, est donum Scientia: si circa particularia agibilia, est donum Consilii. Si vero Spiritus Sanctus movet appetitum: vel eum perficit ad ea, quæ sunt ad alterum; & ad hoc est donum Pietatis: vel in his, quæ sunt ad ipsum: ideoque, vel ut nulla difficultate retrahatur a prosecutione boni ardui; & est donum Fortitudinis: vel, ut illicitas delectationis respuat, & est donum Timoris.

IV. Ex quibus consequens est, quatuor dona, quæ pertinent ad intellectum, scilicet Sapientia, Scientia, Intellectus, & Consilii: tria vero, quæ ad appetitum, nempe, Pietatis, Fortitudinis, & Timoris Dei. In quo autem appetitu sint hæc tria dona, ambigitur. Quidam ponunt donum pietatis in voluntate, donum vero fortitudinis, & timoris in irascibili, & concupiscibili, coherentem ad sup. rius dicta de virtutibus moralibus. Quidam vero omnia in voluntate formaliter ponunt: igitur tamen, ut virtualiter se extendant ad irascibilem, & concupiscibilem, eas a pravus delectationis coercendo.

§. II.

Describuntur singula Dona.

V. Donum sapientie est habitus, quo homo disponitur, ut se prompte mobilis a Spiritu Sancto ad bene iudicandum de rebus divinis, etiam excellentiori, & extraordinario modo cogitatis, quod sit eis inhzrendum, & ab oppositis recedendum.

Donum intellectus est, quo disponitur, ut ad divina recte capiendâ, & iuxta suam conditionem penetranda, vel assequenda, peculiari instinctu moveri possit.

Donum scientie est, quo disponitur ad hoc, ut ex speciali illustratione possit cognoscere de rebus humanis, quatenus nos deunt ad Deum. Loquimur enim hic de scientia Christiana, cui non est tribuendum quidquid ab homine sciri potest, sed ea, quæ ad animæ salutem pertinent.

Donum consilii est, quo disponimur, & prompti reddimur ad bene deliberandum, & resolvendum, quid in rebus difficultioribus, præsertim inopinatis, ad salutem, aut Dei gloriam pertinentibus, optimum factu sit.

Donum fortitudinis est, quo prompti reddimur ad forti animo tolerandum adversa, maxime inexpectata; vel ad gravia, insolitata pericula aggrediendum.

Donum pietatis est, quo bene disponimur erga Deum,

ejusque cultum specialiter, & in casibus extraordinariis: & in hoc differe a virtute religionis, quæ in casibus ordinariis per prudentiam iustam regulatur.

Donum timoris Dei est, quo disponimur ad prompte recedendum a malis, præsertim a delectationibus, & concupiscentiis, vehementiori, & extraordinario modo.

VI. Pro clara tamen horum donorum intelligentia, & eorum distinctione ab aliis, quoad dona pertinentia ad intellectum supponenda est doctrina D. Th. 2. 2. q. 45. a. 2. quod, nempe, rectitudo cognitionis, vel iudicii potest haberi duplici via: vel per rationis inquisitionem, puta, studium; vel propter quandam connaturalitatem ad ea, quæ cognoscenda sunt, vel de quibus est iudicandum: Sicut de his, quæ ad naturam pertinent, per rationis inquisitionem recte iudicatur ille, qui didicit scientiam moralem: sed per quandam connaturalitatem ad ipsam recte iudicatur de eis ille, qui habet habitum acquisitum. Dona ergo ad mentem pertinentia acunt eam ad iudicandum de divinis, non studio, aut inquisitione; sed ex quadam connaturalitate, & gustu ad res divinas factio per charitatem, iuxta illud Pauli 1. Corinth. 6. versicul. 17. Qui adhæret Dominis, unus Spiritus est. Donum ergo intellectus acuit, & perficit mentem ad iudicandum de divinis, iudicio discretivo, & sine admixtione errorum ex connaturalitate quadam ad divina, feu experientia, & gustu circa ea ex speciali unione cum Deo percepto. Ex eadem experientia, & gustu iudicatur sapientia de rebus divinis per causas altissimas, & scientia per causas inferiores, & humanas; & donum consilii eadem experientia movetur ad ea, quæ scienda sunt, dirigenda. Quibus apparet differentia horum donorum, non solum inter se, & ab aliis naturalibus scientiis, quæ inquisitione, & studio procedunt: sed etiam a fide, quæ licet istorum sit fundamentum, & radix; non tamen fertur in res divinas, ut cognitas huiusmodi experientia & gustu divinorum; sed lumine præficio revelationis obscuræ.

VII. Quoad dona vero ad appetitum spectantia; donum pietatis exhibet Deo cultum, per instinctum Spiritus Sancti, modo extraordinario, & propter Deum. Quo non solum, ut dicebamus, differt a virtute religionis, quæ talem cultum exhibet secundum communes prudentia infusæ regulas, & fed etiam quia Deum colit, quia præficio in se magnus est, & cum quadam velut annihilatione, & spoliatione ab omnibus, quæ nobis confort. In quo differt etiam a Pietate, ut virtus est, quæ secundum D. Th. in 3. dist. 34. q. 3. a. 2. quaestione 1. ad 1. Accipit aliquid humanum pro mensura: scilicet beneficium a Deo acceptum, ratione cuius (homo) est debitor ei. Sed pietas, quæ est donum, accipit in hoc aliquid divinum pro mensura, ut scilicet Deo honorem impendat; non quia sit ei debitor, sed quia Deus honore dignus est; per quem modum etiam ipse Deo sibi honori est.

Donum fortitudinis modo superhumano, & supra regulas prudentia, firmat animum contra pericula. Hoc dono Joannas cum solo armigero hostium exercitum aggressus est; Samson rupit vincula; & Christus in horro trepidationem naturæ de morte superavit; & alii alia fortiter gesserunt, ut supra diximus.

VIII. Donum denique timoris actu primario habet subjectionem reverentialem ad Deum, ob ejus eminentiam; & postea: quia ratione hoc donum fuisse in Christo, docet D. Th. 3. p. q. 7. a. 6. Prout scilicet Christi quidam affectu reverentia movetur in Deum a Spiritu Sancto acta, in Deum, inquam, prout potentem sua eminentia malum infligere. Quo donum timoris ab humilitate, & pietate fecerunt, quæ Deum reverentur absolute. Sed hæc satis sint pro mei Candidati instructione. Reliqui apud D. Thomam citata q. 68. percurrere poterit.

TRACTATUS QUARTUS. DE VITIIS ET PECCATIS.

QUESTIO I.

De Natura Vitii, & Peccati.

DE VITIO ENIM NATURE: nempe, peccato originali; abunde locuti sumus Tomo Primo in Primum Partem. De his ergo naturam, divisionem, causam, comparationem ad invicem, subiectum, causas, effectus, & alia examinari solita, percurrimus.

A gemus hic de natura vitii, & peccati: quia tamen hæc manifestari maxime potest ex contrarietate vitii ad virtutem, & ad naturam rationalem; ideo hæc prius cum D. Th. expendemus: deinde peccati definitionem statuemus.

DUBIUM I.

An Vitium sit contrarium Virtuti.

§. I.

Aliqua prænotantur.

I. Vitium a Vizio dicitur, quod vitandum sit, ac fugiendum: omne autem, quod deficit a recta regula, seu dispositione, vitium dicitur. Sic in naturalibus claudicatio est vitium tibiae; in artificialibus vitium est, quando artefactam a regulis artis deviat. In anima vitium, quando deviat, & male disposita est ad regulas rationis. Hic de vitio animi loquimur. Esto autem vitium, ita sumptum, sepe confundatur.